DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS

DE

MORBO SCROPHULOSO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI LUDOVICI KESTELOOT,

Med. Chir. Art. Obst. Doct. in Facultate Med. Prof. ord.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME OBTINENDIS,

PUBLICE DEFENDET

Henricus-Franciscus Dierikx,

EX BASSEVELDE.

Die 19 Novembris MDCCCXXV, horâ XIª.

GANDAVI, EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA

P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, viâ Hoogpoorte nº 37.

1825.

Ex præscripto art. 56 legis Acad. opiniones in Dissertationibus propositæ illarum auctoribus propriæ, et a Facultate nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

PARENTIBUS OPTIMIS,

FRATRIBUS SORORIBUSQUE

CHARISSIMIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS
DEDICAT ET VOVET
AUCTOR.

Viscidum in cibis abundans, sicubi valido naturæ robore non subigitur, chylum producit nimis glutinosum et qua inde sequuntur mala.

Pulmonum oppletio, glandularum tumores telæ cellulosæ infarctus, systematis, quod ad bilem pertinet, inertia, generis nervosi languor, torpor vis vitalis præcipua fore sunt cum gluten ex primis viis in interiora devectum, universam humorum massam inundat. GAUBIUS.

PRÆFATIO.

Morbus, de quo hic disserere aggredior, omnium quibus conflictantur mortales infirmitatum frequentissimus non immerito est habendus; vix enim ulla, tam crebro a parentibus in soboles per hæreditatem traducta, tamque cunctis medicinæ subsidiis pervicax, occurrit affectio.

Nec non ex quo lues venerea magis magisque nostras regiones contaminat, sane sæpius præ oculis habuere medici, nam quotidianâ constat experientiâ, ab individuis istâ ærumnâ confectis haud raro liberos progigni, qui cum strumarum germine diro nascuntur.

Morbus venereus, pharmacaque quibus ipsi succurritur, systema infirmant lymphaticum, hæc textûs lymphatici atonia, genitura ut plurimum transfertur, infantes exinde strumis perquam obnoxii e matris utero prodeunt, quæ, quibusdam causis debilitatem innatam accrescentibus illico erumpunt.

Hocce objectum quod pro meo specimine perarduum selegi, alumni virium multo superat limites angustos, quocirca lectoris indulgentiam obnixe flagito.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MORBO SCROPHULOSO.

Morbus iste variis ab auctoribus varia obtinuit nomina, sic ut a Sauvagesio (1), Vogelio (2), Culleno (3), Sagaro (4), *Schrophulæ*, à Linnæo (5), *Strumæ*, à gallis, *Ecrouelles*, *tumeurs froides*, et a nostratibus, *Klier-gezwel*, *Klier-ziekte*, nuncupatus fuerit.

Scrophulæ generatim sunt tumores plus minusve duri et irregulares pisi vel nucis avellanæ magnitudinem referentes, quorum sedes est in glandulis dictis conglobatis, proin sæpius subsistunt ad collum, sub axillis, inguinibus, etc., aut in similibus glandulis internis insident, nimirum: in bronchialibus, mesentericis, qui vel resolutione, vel suppuratione, vel ulceribus abire possunt.

(1) V. Nosolog. method., 2 vol. pag. 542, ed. Amstel.
(2) V. Definition. morbor., pag. 123.
(3) V. Genera morbor., pag. 232.
(4) V. Systema morbor., pag. 262.
(5) V. Linnæi, genera morbor., pag. 78.

In indagine strumarum naturæ plurimi insudarunt auctores, ac ut ipsius daretur explanatio, diversæ motæ fuerunt hypotheses. Quidam veteres Scrophularum causam proximam esse systematis glandulosi obstructionem et indurationem inductam a lympha spissiori, simul et acri sui generis autumaverunt.

Alii virus lymphæ contenderunt insidere, quod si res ita se haberet, sanies equidem ex ulceribus Scrophulosis manans facile contactu generaret morbum, eodem modo, quo ex cancro syphilitico lues transmittitur venerea; quod ad hodierna usque tempora nondum observavere practici. Sunt qui hunc morbum virus venerei degenerationem esse asseruerunt et juxta alios ut variolarum progenies considerandus est.

A nonnullis, postquam successus optatos alkalinorum administratione consecuti fuissent, acido lympham densari statuitur; sed chemicorum disquisitionibus acidum in humoribus Scrophulis laborantium huc usque non repertum fuit. Phosphatum calcis, in quibusdam glandulis, in viscerum parenchymate, ductu etiam thoracico cadaverum autopsia demonstravit, hinc phosphatis calcis vitiosa distributione originem ducere existimant chemici, ast ista depravatio ex morbo ipso nascitur.

His omnibus sedulo perpensis, cum clar. Bell, morbum, de quo agitur, speciatim in atonia systematis lymphatici consistere autumamus. Revera plura huic assertioni favent; si enim consideretur quod subjecti, in quibus plethora lymphatica, ut ita dicam, sese manifestat, et qui ab ungui tenero istius constitutionis signa tenent, maxime huic morbo sint obnoxii; si aliunde ad causas ipsamque therapeiam attendamus, videtur inde concludi posse strumarum causam proximam ad vasa lymphatica peculiarius attinere.

An contagio suscipitur ?

Hæc lis fuit adhuc inter medicos, tamen plurimi experientiis rem perpendere moliti fuerunt.

Medicus germanicus Kortum (1), pure, ex ulceribus Scrophulosis fluenti, pueri sani cervicem illevit, quin etiam incisione peractâ eodem

(1) Comment. de vitio Scrophul. in-8°, pag. 52.

loco materiam illam tentavit intromittere, verum infectionis indicia nulla. HEBREARD hoc elucidandi gratiâ rursus operam impendit, ac canibus tabum inoculare incassum expertus est.

Singulis diebus, impune pueri sospites integrique cum strumosis eadem loca tenent, ludo promiscue vacant, ac iisdem stratis dant sommo corpora; sponsa numquam sponso infestatur. Ex hisce tentamentis consectarium est contactu mediato vel immediato contrahi non posse. Sed genitis a genitoribus strumas transmitti certis constat observationibus. Ab altricibus hoc morbo vexatis etiam lactatis translatas fuisse memorant auctores; verum tamen hâc de re ipsius contagium non probatur; illarum enim nutricum in lacte non sedet virus, sed lac istud pravæ indolis victum insalubrem et coïnquinatum præbet infanti, ac illo nutrimento invalidum fit corpus, in quo præprimis elanguescit systema lymphaticum. Haud aliâ ratione ex utero materno prodit infans constitutione strumosâ præditus.

Causæ.

Hic morbus ætatem teneram imprimis solet aggredi, a secundo ad septimum usque annum vulgo erumpit, interdum tamen in adolescentiâ, imo etiam sed rarius in ætate provectâ accidit. Constitutio lymphatica ad huncce magnopere disponit, sexus sequior, sæpius quam nobilis strumis lacessitur, hujus rei causa in eo hærere videtur quod lymphatico corporis habitu gaudeant fæminæ. Quidquid ad infirmandam œconomiam ac præsertim systema lymphaticum infert, ejus favet origini, idcirco in locis humidis, depressis, palludosis, e quibus aër mephiticus exhalatur, nequaquam soli expositis quam maxime viget; proinde in nonnullis Europæ regionibus ubi aëris constitutio frigida et humida observatur, ut in Angliâ, Irlandiâ, Hollandiâ, etc. Scrophulæ endemice grassantur. CULLENUS tumores aut ulcerationes strumosas præcipue tempore vernali observasse refert (1).

(1) Eléments de médecine pratique, nouv. édit. 1819. tom. 3. p. 331.

Plura insuper ansam morbo quem describimus præbere queunt, ut egestas, aut victus insalubris, vapidus; vita iners et otiosa; animi pathemata corpus enervantia, sicuti terror, moeror, tædium, præsertim si isti animi motus diu perstent.

Aliquoties ex plagis gravibus, ossium fracturis, lapsu, ictu, diversisque causis oboritur. Quandoque infausta quorumdam exanthematum terminatio, videlicet: morbillorum, variolarum, impetiginis aliorumque strumas determinare possunt.

Alias dentitio, prægnatio, strumarum invasionem maturare valent. Denique et ut plurimum, ingenita ac hæreditaria constitutio a parentibus strumosis aut syphilitide correptis acquisita est culpando.

Morbus Scrophulosus cunctos indistincte premit subjectos et divites et egenos, sed infimæ plebis infantes sæpius afficiuntur dum una cum parentibus minus congruo victu ob penuriam uti coguntur, simulque frigidas, humilesque casas inhabitant.

Signa constitutionis Scrophulosæ.

Sequentibus indiciis innotescit iste corporis habitus: caput solito majus, facies tumida, plena, genæ roseæ, lippientes oculi, palpebrarum rubor, exulceratio, destillatus ex illis humor, capilli subflavi aut cinerei, labiorum, potissimum labii superioris crassities, aures crustis mucosis obsitæ, narium dolor, breve crassumque collum, languidæ, molles, inflatæque carnes, cutis candida tactuque dulcis.

Pueri Scrophulis obnoxii majorem cæteris pueris ingenii vividitatem et præmaturam intellectus vim obtinere solent; etiamsi non infrequenter hebetes ac ingenii inopes observantur; ætate provectiori maxillæ inferioris anguli itemque ossa malarum magis solito eminent.

Symptomata.

Omnem hujus morbi cursum in tres periodos divido, ut symptomatum enumeratio clarior evadat.

In primâ periodo, glandulæ lymphaticæ extrinsecus sitæ nimirum: utriusque colli lateris, et anguli maxillarum, basis occipitis, axillarumque intumescunt; quandoque sed sæpius in ætate provectiori glandulæ, quæ ad poplitei flexum, ad articulationes pedum manuumque, imo etiam ad dorsum, ad scapulas locantur, induratæ observantur. Hi tumores inequali formâ duri ac mobiles, nullum dolorem pariunt, neque cutis mutatur color; ipsi nunc per biennium absque immutatione durant, nunc vero citius intestino motu agitantur, tuncque pulsus fit frequentior, calor cutis adaugetur, alvus supprimitur, urinæ solito minus excernuntur; debilitas autem et virium vitalium languor hujusce mutationis brevi sunt pedissequæ.

In secundâ periodo, sensim increscunt tumores, color cutis quâ obteguntur, mutatur, fitque coeruleus plus minusve rubescens, pededentim molliuntur, tactuique fluctuationem offerunt, ipsorum apex albescit, ibique sese formant scissuræ e quibus manat materia puriformis atque grumosa, tunc subsequuntur ulcera quæ cicatrice coalescunt, et aliquoties in iisdem aut in vicinis partibus rescinduntur. Hi tumores, hæc ulcera alternant, usque dum glandulam prorsus destruxerint, cui consumptioni succedunt cicatrices fœdæ quæ per totum vitæ decursum collum, aliasque partes deturpant.

In tertiâ periodo, morbus strumosus non modo externas sed etiam internas glandulas afficit; inde oboriuntur phtisis tuberculosa, tabes mesenterica, quo in casu, æger non raro prius febre hecticâ corripitur quam morti occumbit; offendit quoque cartilagines ossa et articulationes, hinc ossium caries et suppuratio, ankiloses, gibbositates, diversique tumores.

Fieri potest ut cum aliis complicetur, scilicet: cum rachitide, lue venereâ, scorbuto, impetigine, scabie aliisque exanthematibus.

Diagnosis.

Temperamentum, ætas, parentum affectiones aut præsentes aut

præcedentes, habitatio, anni tempestas, vitæ genus, hæc omnia sunt consideranda ad morbi naturam elucidandam; denique ex symptomatibus supra enumeratis deducitur.

Notandum etiam monente clar. Baumes (1) strumis pro variâ ætate varias partes corporis corripi, in pueris scilicet glandulas lymphaticas externas aut interdum mesentericas, in adolescentibus vero pulmones invadere solent; in ætate virili, hydropem, cutaneas etiam pugnacissimas affectiones gignere queunt si cum aliis morbis coexistat, nisi symptomata rite explorentur, perdifficilis est diagnosis; idcirco in perlustrandis morbi causis et symptomatibus summâ sagacitate et cautelâ opus est.

Prognosis.

Morbus strumosus maxime diuturnus est et ad plures annos protrahitur. Accidit tamen ut circa pubertatem, solis naturæ moliminibus solvatur; sin minus, ac ultra hoc tempus permanet, omnibus remediis pertinacissime resistit.

Scrophulæ quæ tantum glandulas externas afficiunt sanatu sunt faciliores quam si in organis internis insideant, hæ febre hecticâ et morte ordinario terminantur. Hæreditariæ profligantur difficillime ob constitutionem, quæ salutiferis artis auxiliis vix mutari potest. Clar. Richerand (2) observavit strumas quæ subito adultos aggrediebantur difficillime eradicatas sæpissimeque lethales; quod hanc Hippocratis sententiam confirmare videtur: » In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, et » ætati et habitui, et anni tempestati morbus magis cognatus fuerit, » quam quibus in nullo horum cognatus fuerit" (3).

Siquidem cum germine fatali, quod in posterum erumpit, nascuntur infantuli, atque notum, vitatis causis occasionalibus, ab illis

(1) Traité sur le vice Scrophuleux et sur les maladies qui en proviennent, 2de édit. in-8°. Paris, 1805. pag. 20.

(2) Nosograp. chirurg. vol. I. pag. 309.

(3) Sect. 2, aph. 34.

periculum vitari aut saltem morbum mitigari potest, adeoque omnia quibus anteverti valet non sunt negligenda. Ideo quædam de cura prophilactica.

Cura Prophilactica.

Hæc cura in usu sex rerum non naturalium est quærenda. Inter illas profecto primum locum tenere debent circumfusa, quod auctoritate Baillou satis confirmatur: » Nec abs re dictum est una cum tempori-» bus mutari corporum conditionem ita ut qualis est aër tales et spiritus » et humores existant."

Ideo puer, strumis imminentibus, locum in quo aërem siccum purumque respirare possit, inhabitet, urbem fugiat, ac in elatiori ædium parte decumbat.

Vestimenta sint calida, lanea, frictiones siccæ, aut cum panno laneo vaporibus aromaticis imbuto perutiles, corpus sæpe mundandum.

Matris ab ubere strumâ laborantis amoveatur puer, alimentis utatur tonicis, nocentia quæ nimis humescunt, in iis enim debilitandi virtus inest. Jurulentæ dapes ægrotulis sunt concedendæ; usus caffei, vini moderate sumpti, cerevisiæ bene fermentatæ, eximie prodest; tepidorum potuum vitetur haustus, quippe qui laxant et infirmant si quædam excretiones sint promovendæ medicamina non enervantia in usum vocari debent.

Exercitia adhuc sunt summi momenti, roborant corpus sicque diathesim Scrophulosam depellunt; idcirco, populi veteres, Græci, Romani apud quos instituebantur ludi gymnastici eâ rarius vexati fuere. Ergo equitatio, ambulatio, vectus in rhedâ, natatio vicissim conveniunt.

Puer ne nimium cito mentem studiis intendat, ipsius animus ab acerbâ re quâcumque avertendus ludoque recreandus. Hic consiliis inclyti philosophi J. J. Rousseau parere expedit: numquam infantes cogere ut inviti aliquid agant, neque eos aspere castigare nam exinde subsequitur morositas et tristitia quibus invalescit innata debilitas.

Sedulo invigilandum ne onanismi vitio inquinentur. Quod si in vanum hæc omnia fiant ad curam proprie dictam confugiendum.

Cura proprie dicta.

Cum ex enumeratis causis et symptomatibus vires vitales hoc morbo infringi manifestum est, ad tonica vel excitantia confugiendum; quem ad scopum prosunt: cortex peruvianus, herbæ absynthii, centaurii minoris, trifolii fibrini; radices gentianæ; flores camomillæ, etc. Præparationes martiales etiam ad vires erigendas multum conferunt. Aquæ minerales hydro-sulfureæ a nonnullis laudantur, atque Bordeu balnea aquarum Bonnoniarum Barregiensiumque commendavit, quibus firmitudo et tonus in toto corpore adaugetur.

Ex omnibus autem antiscrophulosis elexirium amarum doct. Peyrilhe feliciori cum successu adhibetur, in illo stimulantia cum tonicis utilissime consociantur, pro ætate variâ, varia dosis est sumenda. Laudem adhuc meretur syrupus antiscorbuticus et sæpe cura ab illo inchoatur.

Ex observationibus multis constat decoctionem saturatissimam turionum lupuli optatos produxisse effectus.

Pluribus abhinc annis a Clawford murias barytæ laudibus fuit elatus; propterea, plurimi practici ipsius administrationem experti sunt, clar. Pinel, Chaussier, Guersens aliquoties feliciter eo usu fuere; sed Alibert, Jadelot, Salmade (1), frustra illum tentare memorant; hæc successuum diversitas, quominus de hujus remedii efficaciâ statuatur, impedit.

A nonnullis, hancce substantiam, dosi grani unius, colicas, superpurgationes, pectoris dolores, aliaque accidentia generasse testatur; quapropter, quantam illius usus requirit cautelam facile persentitur. Hebreard ad hoc præcavendum suadet ut prædictum remedium in aquâ destillatâ solutum frictionis formâ ministretur.

Acetas ammoniacæ utiliter fuit præscriptus, itemque murias calcis,

(1) Dictionn. des sciences médicales, article *Scrophules.*

de quo Fourcroy prosperos eventus quos in atrophiâ mesentericâ habuit, prædicat.

Hydargyrum tamquam palmarium remedium a pluribus fuit commendatum; re ipsâ systema lymphaticum valde stimulat, sed si diu prorogetur usus, haud dubie atoniam adducit, quâ de causâ nisi prudenter manuque parcâ administretur, sæpe noxium exitum habet. Exemplum a clar. Richerand relatum hominis in quo hydrargiri usus statum Scrophulosum determinavit, rem comprobat (1).

A quibusdam præcipitur, ut medicamenta ad debitam reactionem febrilem inducendam, adhibeantur; quem in finem medicus Quarin extractum digitalis purpureæ propinabat, a grano uno ad duodecim sensim sensimque progrediendo; quodsi glandularum pulmonum aut mesenterei affectionis sit suspicio, tunc attente cavendum ne febris excitetur, illa duntaxat prodesse solet, cum Scrophulæ glandulas lacessunt externas.

Compertum fuit potum quotidianum aquæ marinæ esse summum in hoc morbo remedium. Angli ex inhalatione gazis oxigenii cum partibus æqualibus aëris atmospherici permixti efficaces obtinuere successus, cum autem ægri cinchona officinali simul uterentur.

Cum supra dictis remediis simul concurrere debent hygienes auxilia et ethices præcepta, plus enim proficiunt in hoc morbo quam operosa polypharmaciæ instrumenta; itaque, quæ in prophilaxi indicavi non sunt omittenda,

Præter hæc, varia pro partis affectæ diversitate usurpanda est medela.

Si glandulæ lymphaticæ tantummodo sint obstructæ, conducit, ut tumoribus apponantur emplastra ex sapone, e vigo cum mercurio, aut cicutâ. Possunt quoque cum linimento volatili perfricari ad salutarem reactionem excitandam; si emolliri incipiant ad emollientia recurrere melius est. Bodard cataplasmate ex foliis tussilaginis contritis, melle et aceto condito, feliciter utebatur (2).

---

(1) Op. citat. pag. 319.

(2) Des écrouelles, des humeurs froides, et observ. sur l'utilité du tussilage dans le traitement de cette maladie. Paris, 1807. in-8. page 27.

Dum tumores exulcerantur, utpote adest in illis virium vitalium languor, excitantia sunt adhibenda, efficacissima præ cæteris utilitas oxali acetosellæ formâ cataplasmatis tribuitur; admovere quoque possunt lotiones aromaticæ aut cum sapone. Clar. Cullen egregium obtinuit effectum cum linteis aquâ frigidâ madefactis quæ ulceribus applicabat (1). Profuit etiam localis insolatio naturalis, activior facta colligendo, mediante vitro, radios solares.

Injectiones cum alcohole camphorato, balnea localia cum dissolutionibus alkalinis in carie Scrophulosâ laudantur, his frustra admotis, ingravescenteque affectione, ægri a morte præservari nequeunt nisi instituatur amputatio, ubi hæc fieri potest.

Tumores articulationis si superveniant, irritatioque si sit vehemens, emollientium applicationem requirunt; inflammatione sedatâ resolventia relaxantibus substituere necesse est, sicuti frictiones cum linimento volatili, aut cum mercurio ut commendatur a clar. Bell; emplastra ex cicuta et sapone, utilia etiam reperta fuere, ea si non sufficiant, vesicantibus itemque cauteriis pars incitanda.

(1) Op. citat., page 339.

TANTUM.

POSITIONES.

I.

Color niger intestinorum in herniis incarceratis non est signum gangrenæ certum.

II.

In operatione herniæ incarceratæ saccum non secandum, sed cum omnibus quæ continet, in abdomen reducendum esse, male commendant MONRO aliique.

III.

Licet non assentiamur iis, qui saburræ biliosæ causam semper in debilitate vel primarum viarum vel totius corporis ponunt, ideoque semper roborantia esse adhibenda existimant, usus tamen resolventium et evacuantium non nimis diu protrahi debet, licet saburræ indicia adhuc adsint, cum sæpius hæc debilitatis sunt effectus.

IV.

Emetica refractâ dosi exhibita in morbis catarrhalibus et rheumaticis eximium usum præstant.

V.

Duos inter textus contiguos nulla haberi potest adhæsio, nisi prægressa inflammatione.

VI.

In pectoris organorum inflammationibus difficile noscitur, quodnam sit organon præcipue affectum.

VII.

Naturam rabiei inflammatoriam esse, neque ex signis, durante vitâ, aut post mortem, phlogosin indicantibus, neque ex venæsectionis utilitate confici posse videtur.

VIII.

Pulmones aquæ innatantes incertum præbent argumentum de infanticidio, si quæstio utrum vivus an mortuus editus sit neonatus.

Vidi et nihil quod disposit. art. 56.
Legis Acad. adversetur reperi.
F. E. VERBEECK,
F. Med. h. t. Decanus.